



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Angela De Fvlginio, In Qvo Ostenditur Nobis vera via qua  
possumus sequi vestigia nostri Redemptoris**

**Angela <de Fulginio>**

**Parisiis, 1598**

c. 45. Qualiter iterum vidit b. Mariam, Christum in templo offerentem. Et quomodo huic sanctæ fuit Christus positus in brachiis fuitque ei dictum, quoniam, ex quo Dominus seipsum offerebat, quod ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43716**

languido iacebā, & nihil loque-  
bar, non impediēbar etiā ab ali-  
qua alia re, quando autem nomi-  
nabatur mihi Deus, non poterā  
sustinere pro immensa delecta-  
tione.

*Quadragesimum quintum capitulum.*

*Qualiter iterum vidit virginem  
dominam nostram Christum in tem-  
plo offerentem. Et quomodo huic  
sanctæ fuit Christus positus in bra-  
chis, fuitque ei dictum, quoniam, ex  
quo dominus seipsum offerebat, quod  
ipsa etiam offerret.*

**I**N purificatione beatæ virgi-  
nis dum essem manē in Eccle-  
sia Fratrum Minorum de Fulgi-  
nio, facta est mihi loquutio di-  
cens. Hæc est hora, in qua domi-  
na virgo Maria venit cum filio in  
templum. Et hæc audiuit anima  
mea cum magno amore, & tunc  
fuit anima mea eleuata, & vidi  
dominam nostram intrantem in  
illa hora, & obuiauit sibi a-

nima mea cum magna reuerentia & amore. Et cum aliquantulum vererer accedere ad eam, ipsa dñā nostra dedit animæ magnā securitatem, & extendit versus

*Pensa in presentatione filij Dei in templum. Et sicut se pro nobis obtulit, ita sibi nos humiliter offeramus* me filiū suū Iesum, & dixit. O dilectrix filij mei accipe, tradiditque brachiis meis filium suum, & videbatur habere oculos clausos, quasi dormiret, & erat pannis inuolutus siue fasciatus.

Ipsa autem domina nostra quasi ab itinere fatigata sedit, & faciebat tam pulchros & delectabiles gestus, & ita honestos, & gratos mores ostendebat, & erat ita dulce & delectabile videre ipsam, quod aīa mea nō solum poterat respicere puerū Iesū, quem sic astrictum tenebam inter brachia, sed etiam cogebatur respicere ad dominam nostram. Dum igitur sic stare subito puer remansit in brachiis totus nudus & aperuit atque leuauit oculos, & respexit, & statim in aspectu

illorum oculorum sensi, & habuit tantum amorem quod vicit me omnino. Exiit enim de illis oculis tantus splendor, & ignis amoris & lætitiæ, quod est mihi indicibile. Et tunc subito apparuit vna immensa maiestas ineffabilis, & dixit mihi. Qui non viderit me paruum, non videbit me magnum, & addidit. Ego veni ad te, & obtuli me tibi, vt tu te offeras mihi. Et tunc anima mea modo mirabili & indicibili obtulit semetipsam ei: demum obtuli me totam, & filios meos sequentes perfectè, & totaliter obtuli, nihil mihi, nec de se, nec de suis reseruando. Et intellexit anima mea, quod Deus illam oblationem multum acceptabat, & cum magna alacritate recipiebat.

De alacritate verò & lætitia ineffabili, & delectatione, & dulcedine indicibili, quàm habui intendendo quod Deus cum tanta benignitate meam oblationē

recipiebat & acceptabat nihil possum dicere, quia est mihi impossibile manifestare. Altera vice vidi beatam virginem me ad cognitionem exhortantem, & benedicientem, & mihi dolorem suæ compassionis quam habuit de filio suo dicentem.

*Quadragesimum sextum capitulū. De De prima visione illarum quatuor visionum & consolationum quas habuit super filius suis spirituales, qui uenturi & sequuturi erant Iesum Christum ad detegendam & manifestandam viam crucis.*

**Q**UADAM vice eleuata, & attracta pariter & absorpta in lumen increatum, videbam quæ non possum dicere. Remanente autem hac influentia, apparuit mihi effigies benedicti Dei hominis crucifixi, quasi tunc nouiter de cruce depositi. Cuius